

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

N supremo Apostolatus solio meritis licet insufficientibus diuina dispensati. ne Constituti ad ea per que seruari, & Ancillarū Christi bonos, & veneratio in Terris promouentur iuxta creditū nobis de super Apostolica seruitutis officiiu libenter intendimus, & Christi fidelium presertim Catholicorum Regū id exoptantium votis libenter annuimus, eaq; fauoribus prosequimur opportunis, prout in Domino cōspicimus salubriter expedire. Alias siquidem nomine Dilectorum filiorū omnium Religiosorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorū B. Mariæ de Monte Carmelo, nobis exposito quod b. me. THERESIA de IESV dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Fundatrix, tam multis, & eximijis Virtutum, & Gratiarū, ac Miraculorū donis à Domino illustrata fuerat; vt magna idcirco erga eius nomē, & memoriam Christi fidelium deuotio vigeret, & propterea nō solū vniuersus Ordo predictus, sed etiā charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarū Rex Catholicus, ac omnium ferē Hispaniarū Regnorū Archiepiscopi, Episcopi, Principes, nec nō Cōmunitates, Vniuersitates, & Homines, nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerant, vt donec Canonizationis honor ab Apostolica Sede dictæ Theresiæ haberetur sacrosanctū Missæ Sacrificiū, & Officiū ab omnibus, & singulis dicti Ordinis vtriusq; sexus Religiosis personis de dicta Theresia tanquā de vna Beata Virgine agi, & recitari respectiue posset. Nos re prius per venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sacris Ritibus Præfactos quibus eam examinandam mā laueramus maturē discussa, de eorundē Cardinaliū consilio huiusmodi supplicationibus inclinati, vt singulis annis in die Depositionis dictæ Beatæ Theresiæ, videlicet die quinta mensis Octobris in omnibus Monasterijs, & Ecclesijs dicti Ordinis Fratrum Carmelitarū Discalceatorū ab omnibus eiusdē Ordinis Religiosis vtriusq; sexus Officiū, & Missa de B. Theresia prædicta, tanquā de vna Virgine, necnon in oppido Albe, Salamantin. Dioc. in Monasterio, & Ecclesia, in qua Corpus dictæ Beatæ Theresiæ asseruari afferitur ab omnibus Presbyteris, tam Secularibus, quā Regularibus cuiuscumq; Ordinis, in dicta die quinta Octobris tātum, Missa in honorē eiusdē Beatæ Theresiæ, pro eorum deuotione, iuxta regulis Breuiarij, & Missalis Romani recitari, & celebrari respectiue posset cōcessimus, & indulgimus. Et subinde de simili eorundem Fratrum consilio, vt extunc in futurū in omnibus Ecclesijs quarumcumq; ciuitatū, & Diocesium regni Castellæ Veteris tātum, Missa, & Officiū de eodē Beata Theresia in die Depositionis prædictæ dūtaxat, iuxta Rubricas Breuiarij Romani à quibuscūq; vtriusq; sexus personis Ecclesiasticis, seruata aliās in omnibus, & per omnia nostrarum super prioris gratiæ concessione expeditarum Litterarū forma, & tenore celebrari, & recitari respectiue liberē posset, & valeret concessimus, & indulgimus, aliasq; prout in diuersis Nostris in simili forma Breuis de super expeditis Litteris, quarum tenores presentibus pro sufficienter expressis haberi volumus plenius continetur. Cum autem sicut nomine dictorum Religiosorum Nobis nuper iterum expositum fuit, tam Philippus Rex, quā etiam Ordo predictus, attentā vniuersali deuotione erga dictam Beatam Theresiam omnium Populorū non solū Regni Castellæ Veteris, sed etiam omnium aliorū Regnorum Hispaniarū, necnon Portugallie, & Algarbiorum concessione, & indultum prædictæ ad vniuersa Hispaniarum, necnon Portugallie, & Algarbiorū regna per nos Apostolica auctoritate extendi summopere desiderēt. Nos supplicationibus eorū nomine Nobis super hoc humiliter iterū porrectis inclinati de eorū dē Fratrum cōsilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in omnibus Hispaniarum, ac etiā Portugallie, & Algarbiorum Regnis, dicta die quinta mēsis Octobris ab omnibus vtriusq; sexus personis Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus officii, & à quibuscumq; Presbyteris, tām secularibus, quā cuiuscumq; Ordinis Regularibus, etiam Missa de eadē B. Theresia, seruata aliās in omnibus, & per omnia Litterarū prædictarum forma, & tenore celebrari, & recitari liberē, & licitē possit, & valeat Apostolica auctoritate tenore presentis cōcedimus, & indulgemus. Nō obstantibus omnibus illis, quæ in dictis Nostris litteris volumus non ob stare, cæterisq; cōtrarijs quibuscumque. Volumus autē quod presentium trāsumptis etiā impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadē prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ presentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostense. Dat. Romæ apud Sanctā Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, tertio Idus, Millesimo sexcentesimo decimo septimo, Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

S. Card. S. Sulannæ.



Handwritten signature and scribbles, including the name 'Carmel' and other illegible text.

